
N. Inv. 4912.

II



REGIA Ad METAM HONORUM VIA

In
Libero Sarmatiæ Regno
PATENS.
Olim
In Capite Orbis et Urbium Roma a Clemente Janicio miræ eruditionis
ac Felicissimæ facundiæ Sarmatico Archi Poëta
Ligata eloquentiæ pedibus
CURSA.
Nunc
Ad annuum Studiorum agonem Metagymnasticis Ludis in athenæo
Laurensi Soc: JESU ab utriusq eloquentiæ Agonothetis.
EXPOSITA.
Anno.
á via in terris Increata Sapientia 1741 Pridie calendas Julij

Argumentum

Ex Vetustissima Progenie Janina Clemens Janicius Archi Poëta Polonus, tantum valuit Felicissimâ venâ Poëë et Latinæ Poeseos, ut ob id unicé omnibus præcharus intimusq esset. Assurrexit sublimis hic Sarmaticus Vates, quòd in Maximiliani primi Cæsarea aula Commorans, munere ablegati perfunctus, adeo Cæsari Literarum peramanti obrarissimas Poëtici Ingenij dotes placuit, ut Ipsemet Imperator palam Clementem Doctorali Laureâ Poëtica inauguravit. Ita tunc a Cæsare Romano: Rex Polonorum Ingeniorum Janicius seu Janina (ut in suis elogijs a Nicolao Zoranio nuncupatur) Coronatus Clemens. Simon Starowolski Centuria Illustrium Scriptorum Poloniæ Folio 83

Prologus.

Ad Portam Honoris Maximiliani (a) Litigantibus Genio Janicij et Genio Fallingi de Honoris Fastigio, adveniente Pallade cedit Victrix Genio Janicij Coronaria Palma

Interludium

Actus 1mus.

Scena 1ma Maximilianus in Ortu sui Regiminis obtentâ de Ungaris feliciter victoriâ (b) precinctus victrici Laureâ summo cum triumpho ingreditur Senatum, ubi occupato Solio, a Proceribus Solemnibus attollitur applausibus.

Scena 2da Salutatis vicissim Proceribus Maximilianus, init Consilia de suo Imperio, et ut summè Literarum amans primum in sua aula doctis ad summa honorum fastigia appromittit gradum. Quapropter suum Contestans affectum quemlibet è Proceribus muneratur librô, una cum Fallingo suæ militiæ Duce, quem ob tot perpessas in martis campo molestias intimo sibi donat Codice cum Epigraphe Litere una custodia.

Scena 3tia Commendante maximiliano Magnatibus assiduam librorum lectionem, ut quisq quod è proprio libro memoriâ possideret, id in Senatu narraret Superveniet Ephebus denuncians è Polonia venisse Legatum, quô nunciô Maximilianus acceptô jubet Stipatos exercitu Proceres obviam ire.

Scena 4ta Ingressus Clemens Janicius Archi Poëta Polonus Senatum, totus in encomia Cæsaris Maximiliani fluidissimæ orationis effunditur flumine, Laurea decorans victoriam Lingvâ. Quâ devictus Maximilianus eloquentiâ, exquisitissimam Janicij Laudans eruditionem, suô illum donat annulô, cum gemma nomine Phengites. (c) hâc exaratâ inscriptione Servanda notabit Insuper additô suô Poëtico opere de diversis suis periculis cum Ænigmate quod constabat e 5 vocalibus (d) A. E. I. O. U. ad interpretandum. Cui Janicius magnas persolvens gratias suam appromittit operam, et in Comitatu Procerum ad proximum reducitur conclave.

Scena 5ta Fallingus ægrô ferens animô Janicium advenam sic honorari, sibi vero pro tot toleratis bellicis molestijs nihil simile præstari, illum dum sæpius libri mente revolvit inscriptionem. Litere una custodia Suspicione de suo Infortuniô ductus acharonta movet contra cæsarem et Janicium Interim anceps contentorum in cæsaris affato, atq animo struendi in Janicium tatnas furibundâ adiens Vafrinum agitatione summo cum contemptu projicit traditum sibi a cæsare librum quem mandat per Ephebum sibi deferre a Longe spectans Lindius.

Chorus 1mus

Genius Fallingi et Genius Vafrini immersum Libro Genium Janicij cum a Studio Literarum nullis persvasionibus retrahere valeant, insurgunt contra Literas, atq flammis Condemnant librum, ex quo tanquam fulmine tacti terrentur.

Interludium

Actus 2dus.

Scena 1ma. Vafrinus resciens contemptum Fallingi et Janicium majorem sibi interpretatione Ænigmatis promereri honorem, decernit abducere ab hoc tam grato Cæsari Opere et persvadere Janicio quam citissimum ex Cæsarea aula ad propriæ Patriæ Limites transitum

Scena 2da Inito consilio intrant Vafrinus et Fallingus Janicij Conclave, ubi videntes solum Janicium immersum libro et insudantem Operi simulant amicitiæ causâ illum invisere atq ~~ex~~ ex occasione Ænigmatis cæsaris cui actu Janicius operam dabat certam a cæsare illi in his 5 vocabulis declarant pernitiem quas sic interpretantur alta ex optas Iram Cæsaris Videbis persvadentq quam citissimam hinc illi in suam Patriam migrationem.

Scena 3tia Vafrinus et Fallingus egressi è Janicij conclavi, videntes minus terreri hâc fraude Janicium dolosâ statuunt adinventione commodô tempore Janicium è vivis tollere, vel gladio suscipiente in se hanc necis executionem Fallingo vel venenô ad id se offerente Vafrinô

(a) Porta honoris, picturis et Virtutibus a Maximiliano erat adumbrata, Pensinger. (b) Pelmatthulius in annal. 1525
(c) Phengites gemma id demonstrabat quod a tergo acciderat. Pensinger folio 284. (d) Idem Ibidem.

Scena 4ta Janicius rei veritatem ingrens cum interpretatione vocalium a Fallingo et Vafrino facta adit Consilij gratia Cordinum primum ex Senatoribus a quo de Cesaris Singulari erga literatos certificatus favore contra omnem malevolorum furorem donat Janicius proiecto a Fallingo libro cum inscriptione. Literæ una Custodia. ipse vero Cordinus hac de re adiens Maximilianum, appromittit se quidquid intellexerit a Cesare per literas Significaturum

Scena 5ta. Intrat Senatum Maximiliani Cordinus denuncians Contemptum Cesareæ Majestatis et furorem contra Janicium Fallingi et Vafrini. Alteratus Cesar, jubet quærere Fallingum et Vafrinum vigilantique circumdare militibus, et huiusque tenere sub custodia antequam brevi Senatus Consilij immineat tempus.

Chorus 2dus.

Genio Janicij Voce Canenti dum echo truncatas reddit voces irruit Genius Fallingi animo occidendi cujus ictum Genius Janicij Oppositione Voluminis eludens, a Superveniente deffenditur Pallade atque Lauro coronatur

Interludium

Actus 3tius

Scena 1ma Vafrino Cogitanti de suo astu, obviat missus Ephebus Cordini cum literis ad Janicium, ex quo quærens quid et quorsum ferret, dum responsum accipit, quædam arcana Janicio ferre, instruit Ephebum ut librum a Cesare datum Janicio clam auferat (hoc animo ut imbuat privatim pro sua arte veneno librum.) certum appromittens Stipendium

Scena 2da Revolvente Janicio Literas Cordini, Ephebus subtrahit è mensa librum quondam a Cesare datum, sed mox inspecta Janicius in annulo gemma nomine Phengites, cum lemmate: Servanda notabit deprehendit in furto Libri Ephebum.

Scena 3tio Fatente Ephebo hæc in re habuisse instructionem a Vafrino, uno irruit ictu in Janicium Fallingus sed Janicius imperterrito animo sine ulla sui Læsione illum libro cum inscriptione arrovacari potiores Literæ una custodia. tanquam clypeo ubi eludit, intuetus Fallingus se circumdari a Cesarea aula in conclavi Janicij, itaque prænimio furore recte cum evaginato gladio intrat Senatum Fallingus sed primo in ingressu rapitur a militibus.

Scena 4ta Interrogante Maximiliano Causam furoris, et tacente Fallingo in comitatu Procerum Supervenit Janicius, quem tristem præseferentem vultum, dum lacrimanti mæroris Imperator interrogat Originem, totam rei producit seriem Cordinus palam Fallingi et Vafrini in Janicium Crimen deducens, quo audito Maximilianus mox sisti jubet Vafrinum; Intrante Vafrino, testibus Crimen Probari Cesar jubet, quibus auditis justo incensus furore protinus Fallingum et Vafrinum cedere ex aula jubet.

Scena 5ta. Cordinus Clementiorem exoptans Cesaris vultum quidquid è concesso sibi Cesaris Libro excerpsit hoc expositurus benignam exposcit aurem. Post quem cujusque è Provincijs suæ diligentiæ in literis remonstrato experimento, Janicius sibi etiam concessum ad manus Cesaris tradens librum illud è 5 vocalibus constans ænigma, hoc exponit Symbolo: Adest excelso Imperium Orbis Victori unde Laudum assumens materiam totus in encomia verborum effundit facundiâ. Maximilianus vero despiciens Janicij Eruditionem quam plurimos tales suo in Imperio exoptat literatos exponens hunc Sensum Literæ una Custodia. quod fundant et defendant quam optimè literis Imperia. Ideoque ex occasione Stematis Sarmatici Regni Gobbertæ in uno codice & Fallingo et Vafrino victoriæ, sic suum ænigma de Janicio Interpretatur Acta Electa iuste omnia vivit In primum vero facundissimi Elogij (cum suis Cesareæ aulæ Proceres ad Principatus promovet insignia) Doctorali Poëtica adornat Janicium Laureâ, totius Senatus inter applausus acclamante ore: Vivat Rex Polonorum Ingeniorum Janicius

Epilogus

Pallas ad Portam Honoris ex occasione honorati Janicij, Varia honorum demonstrans insignia, scholasticam Juventutem ad meliorem animat doctrinam, diligentiores vero sui cultores ad altiorem honorum publicâ promulgatione promovet gradum.

Ad

M. D. Gn. B. V. S. L. O. C. Honorem.

